

facilis est explicatio dicti Ieremiae: A signis cœli nolite timere. O dulcem consolationem Ecclesiae, & omnibus Deum inuocantibus propositam. Non ait Ieremias: Nihil esse signa cœli, imò cum nominat signa, portendi aliquid adfirmat. Antequàm Hierosolyma euerfa est, quantum fuit prodigiorum, eclipsium, tristium coniunctionum: Hæc denuntiabant excidium illis miserrimis ciuitatibus. Et quanquam in hac infirmitate naturæ mentes sunt timidæ, & prodigijs mouentur, sæpè exuescebant eorum pectora, & qui Deum uere colebant, tamen his consolationem Christus tradiderat, mansuram esse Ecclesiam, & habituram hospitia in alijs locis.

Sic Christus, cum prædicit horrendos tumultus orbis terrarum, & tristissimas ruinas Imperiorum, adiicit consolationem. Instat, inquit, redemptionis uestra. Ac præcari iubet, ut inter illas rerum humanarum confusiones seruemur.

Ita Ieremias, & si impendent magnæ calamitates, tamen uult nos confirmatos uera agnitione & inuocatione Dei, expectare auxilium & liberationem.

Fatendum est esse res malas & sæuas mortem, euerfiones urbium, spectare neces coniugum, ac liberorum, abduci in exilia. Hæc non sunt nihil. Et tamen pios ita oportet confirmatos esse, ne metu harum rerum cum aut impendent, aut sunt in conspectu frangantur. Sapientia est aspicere naturam suam, sed magis necessaria sapientia est rectorem Deum adiungere. Si quid mali aut astrorum positus, aut naturæ inclinatio minuitur, sciamus Deum & posse & uelle moderari euentus, si ipsum uerè inuocemus. Sciendum est autem & quo ordine actiones suscipiendæ sint. Non moueat bella Pompeius fretus astrorum positu, sed obtemperet uocationi. Et cum uocatio postulat arma capi, mandatum Dei omnibus terroribus anteferatur.

Relinquitur ergo hanc diuinatricem, doctrinam esse Physicam, ac naturæ aspectionem, in qua temperamenta, & inclinationes, quantum fieri potest, iudicantur, & ad causas cœlestes referuntur, quas easdem res & medici considerant, sed referunt ad causas propiores, scilicet ad materiam. Sæpè autem opus est utraq; causas, propiores & remotiores aspici. Talis autem Physica naturæ aspectio non est superstitiosa, cum sit consideratio diuinorum operum, quam docuit homines experientia, ut reliquam physicen, ut herbarum uires in medicando.

Basiliius in enarratione capituli de rerum creatione, siderum effectiones tollit hoc argumento. Si à sideribus uiciosæ inclinationes, aut sceleræ

leræ